Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Visual Library

ctæ diœceſanæ Synodi certū indicimus, ſummo mane in noſtram Metropolitanam Mediolanenſem Eccleſiam conueniant: idq; non alij eorum nomine ſed ipſimet, niſi legitima cauſa quam probare debent, impediti ſint, præſtent: Inde autem, cum conuenerint, ne cuiquam diſcedere liceat, niſi impetrata à nobis facultate.

Edicimus præterea, id quod noſtro prouinciali concilio ſecundo decretum eſt, vt poſt indictę huius Synodi promulgationem, in omnibus & vrbis & diœceſis noſtræ Eccleſijs parochialibus, quinta quaque feria in ſingulas hebdomadas, quoad ipſa Synodus abſoluta ac dimiſſa de more erit, in Miſſæ ſacro oratio de Spiritu ſancto dicatur; in Metropolitana autem, et Collegiatis proceſſionum etiam munus ſingulis Dominicis diebus intus obeatur; ex animoq; preces fiant, quibus à Deo auxilium impetretur pro optimo Synodalium tractationum euentu.

Monemus item eos omnes & ſingulos eccleſiaſtici ordinis homines, vt nec etiam in itinere quod Synodi cauſa huc facturi ſunt, neque verò hic item, ab ea viuendi frugalitate, ſacerdotali modeſtia atque grauitate, quæ prouinciali concilio priori præcepta eſt, diſcedant; ſed eum exemplum fidelibus afferant, vt monet Apoſtolus, in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, & caſtitate; tum nobis à Deo optimo maximo, omni animi pietate, ſacrificijs, precibus, ac ieiunijs auxilium implorare ſtudeant. In quarum rerum fidem has litetas noſtra noſtrique Cancellarij manu ſignatas confici, ſigilloque noſtro muniri, & promulgari, Metropolitanæque noſtræ, & Collegiatarum Eccleſiarum, Aediumque Archiepiſcopalium valuis publicè affigi iuſſimus. Quam affixionem habere eam vim volumus, ac ſi ipſis ſingulis quorum intereſt, illæ allatę ac denunciatæ eſſent. Datum ex Palatio noſtro Archiepiſcopali die 8. Martij 1572.

DECRETA EDITA IN Synodo Diœceſana tertia Mediolanenſi.

Decretum. I.

Sacrarum reliquiarum quo die earum feſtum agitur veneratio.

QVa in eccleſia Sancti alicuius corpus reconditū eſt; cum eius dies feſtus agitur, tunc in ea de illo Sancto Miſſæ ſacrum ritu ſolenni fiat.

Locus præterea vbi eius corpus ſitum eſt, decenter ornetur; tum campanarum ſono, vt Eccleſiæ inſtitutum ac mos eſt, ea ſignificatio fiat, qua cognoſci poſſit feſtum diem in illa Eccleſia celebrari: & omnis denique alius adhibeatur Eccleſiaſticæ pietatis ritus ad recolendam Sancti illius memoriam.

Decretum. II.

Parocho in ſua eccleſia concionante nemo miſſā celebret.

IN ſua parochiali eccleſia dūm Parochus concionatur, ne vlli ſacerdoti, ac ne ei quidem qui vnà cum eodem Parocho in illa ipſa eccleſia curam animarū gerit, Miſsæ ſacrum facere, aut baptiſmi (ſi modò mortis periculum non immaneat) ſacramentum miniſtrare liceat.

Decretum. III.

Beneficia obtinentes in aliqua eccleſia, vel in ea adſcripti, ad proceſſiones conueniant.

QVI ſacerdotes in eccleſia collegiata vel cappellas obtinent, vel eleemoſinæ nomine ſtatis diebus ibidem Miſſæ ſacrum faciunt; qui præterea Clerici eidem eccleſiæ adſcripti ſunt; ij vnà cum eiuſdem eccleſiæ clero publicas ſupplicationes obeant, niſi ſacerdotes ipſi ab eo ſint munere immunes, quoniam alteri eccleſiæ addicti iam ſunt.

In omnibus item proceſſionibus (ijs ſolū exceptis quę Ambroſianarū litaniarū tempore fiūt) Clerus vniuerſus ad libri ſacerdotalis, vel alterius Archiepiſcopi arbitratu deligendi præſcriptū, ſemper aliquid canat cum ea re conuenien̄, cuius cauſa indictæ ſunt ſupplicationes.

Decretum. IIII.

Veſperarū officium in parochiali eccleſia feſtis diebus recitetur, & quinā intereſſe debeāt.

SINGVLIS diebus feſtis, qui vel Eccleſiæ præcepto vel conſuetudine coluntur, in parochiali ſua eccleſia Parochus veſperarum officium canat, datis tamen prius ſtata hora, vt moris eſt, cāpanarum ſignis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN